insolitam regionem vidimus. Nam congregationem multarum aquarum vidimus, ac si esset mare, et ex ipsis aquis excrescebant in altum arbores procerae palmarum et aliorum fructuum quasi silvae, turres etiam et alia aedificia excelsa de aquis consurgebant, civitates et villae in aquis stabant mirabili modo, eratque aspectus regionis sicut Cycladis. Erat enim tempus excrescentiae Nili, quo suum alveum egrediens universam Aegyptum operit et irrigat, ut patebit.

Processimus ergo et contra Aegyptum descendimus versus quandam civitatem, quam Achaciam nominabant, quae est prima Aegypti civitas quam vidimus. Verum cum propius ad eam venissemus, eam ad dextram dereliquimus et ad unam villam declinavimus Mathaream nomine. Cumque ad villam venissemus, terminum deserti attigimus, nam ad villae sepes et macerias finis erat solitudinis et extra fuit terra arida et sterilis, intus vero fuit fructifera et paradiso (b) similis. Haec villa nominatur in Ptolemaeo Busiris, a quodam vetustissimo tyranno, Neptuni filio, qui dicebatur Busiris. Hic apud Aegyptum tyrannidem exercere exorsus est et oras omnes Nilo adjacentes praedator ingens infestavit, inter caetera autem suae tyrannidis fertur hospites suos diis suis immolasse; quam ob causam, cum Hercules ad eum divertisset, ac simili perfidia qua caeteros tentasset, regem ipsum aris impositum Hercules interfecit, et villa, in qua haec contigisse opinari potest, nomen Busiris retinuit.

In hac villa Busiris, quae nunc Matharea dicitur, est hortus ille celeberrimus balsami, de quo in processu venit dicendum. In villam ergo Busirim ingressi duxit nos Calinus ad castrum villae, in quo thermae domini Soldani sunt et habitationes aestivales juxta fontem solis, qui est fons beatae Virginis, cui annexus est hortus balsami. Dum autem castro appropinquaremus, clauserunt portas habitatores curiae, sed dum vidissent nos aperire bursas, antequam argentum viderent, ostia patefecerunt: prostratis ergo camelis ante portam onera solvimus et omnem nostram suppellectilem intus portavimus in unum deliciosum solarium sive caenaculum, cujus fenestrae ad hortum balsami respectum praestabant. Quamcito autem res nostras composuimus, venerunt Arabes camelarii nostri ad nos, petentes licentiam redeundi per desertum ad loca sua, quia ibi terminus conductionis eorum exspiravit et eorum servitium, ut

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;